



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii Dei

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Sectio I. Aliqui significatus præcepti atque mandati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

- SVBSECTIO I. *Conclusio & auctores.*
 SVBSECTIO II. *Primum argumentum ex precepto & mandato quibus vitur Scriptura.*
 SVBSECTIO III. *Responsum de precepto & mandato non stricto, sed lato.*
 SVBSECTIO IV. *Secundum argumentum ex obedientia Christi.*
 SVBSECTIO V. *Christus potuit recusare de obeunda*

- morte preceptum.*
 SVBSECTIO VI. *Qui negent preceptum de morte q. 20. & 47. Christi.*
 SVBSECTIO VII. *De auctoritate Patrum.*
 SVBSECTIO VIII. *Argumenta rationis.*
 SECTIO VI. *Vtrum omnia sint Christo precepta.*
 SECTIO VII. *Aliquot corollaria.*

S. Thom.

§. I.

DE ratione qua Christus fuerit subiectus legibus, agunt Theologi cum S. Thoma in hanc quaestionem 20. quam disputationem rejiciendam volueram in quaestionem 47. peractis enim quaestionibus de vita passibili Christi, oportet examinare quid Christum impulerit in vitam tam ærumnosam? nolui tamen eam differre, est enim celeberrima controversia, vtrum Christus precepto Patris fuerit ad hanc vitam adstrictus: de lege naturali atque Iudaica non deerit sermo.

S E C T I O I.

Aliqui significatus precepti atque mandati.

§. 2. **Q**uoties in æquiuoca incidimus verba, difficile ex Scripturis & Patribus quaestiones definimus, quorum verba à sensu proprio, in quo accipiuntur ab arguente, à respondente flectuntur ad minùs proprium. quod in hac controversia diuinit auctores, quam opto dilucidè exponere.

§. 3. *Preceptum* accipitur Primùm pro documento alicuius artis, id est pro præscripto, regula, aut canone. Sic dicuntur aliqui agere contra præcepta, aut ex præceptis artis: hæc enim definitur, *Que dat certas leges, & præcepta, & quasdam in faciendo errare non patientes vias.* Præceptio enim significat præcipere, siue præoccupare, vt patet ex Tullio 2. de Officijs: *Præcipiant oratione benigna multitudinis animos, ad benevolentiam alliciant milites.* In quo sensu dixit idem de Claris orat. *Hermagora disciplina dat rationes certas, & præcepta dicendi.* Hinc artium magistri dicuntur præceptores; vulgo etiam Hispano præceptores antonomasticè accipiuntur Grammaticæ doctores: Hæc autem prima significatio est maximè propria, cætera autem minùs apud antiquos Latinos.

§. 4. Adsonant Sacri. Prouerb. 6. 7. *Qua cum non habeat ducem, nec præceptorem.* Isaia 30. 20. Luca 8. 24. Fateor præceptum posse rariùs accipi in ea significatione: posset enim afferri Marcus 7. 7. *In vanum autem me colunt, docentes doctrinas & præcepta hominum.* Quod allegat Christus Isaia 29. 13. vbi distinguitur præceptum à doctrina: hæc significat documenta, illud iussionem propriè: Isaia enim non dicit, *preceptum, sed mandatum,* quod non vsurpatur pro documento. Christus item dicit: *Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditionem hominum.* Secundò, ex Paulo Coloff. 2. 22. *Secundùm præcepta & doctrinas hominum:* at habet eandem explicationem, vt & 1. Thessal. 4. 2. *Scitis que præcepta dederim vobis.* Vbi eadem voce videtur vsurpari, & mandatum, & documentum; at accipitur pro mandato, vt constat immediatè: *Vt abstineatis vos à fornicatione,* id præcepit, & docuit. Minùs obscure præceptio sumitur pro instituere, & monere. Marci 8. 15. *Et præcipiebat eis, dicens, Videte, & cauete à fermento Pharisæorum.* 1. Timoth. 6. 17. *Diuitibus huius seculi præcipe non sublime sapere.* Quamquam & pro præcepto obligante Pet. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

possunt exponi, vt Timotheus docuit ea de re præceptum Dei.

§. 5. Accipitur Secundò, *preceptum* pro consilio, seu petitione: & quidem nostri aulici, cum aliquid ab ijs petit homo nobilis, dicunt se executuros eius præceptum aut mandatum, quo vrbane significant esse se illis subiectos, quod ex Tullio discere potuerunt lib. 5. epistolarum ad Luceium, *Tuis montis præceptisq; omnis est abijciendus dolor.* Vtrum in Scriptura acceptum sit *preceptum* pro consilio, an verò semper pro lege adstringente conscientiam, infra disquiram. Apud Patres nec hoc nomen *preceptum* video vsurpari pro consilio; secùs verbum *præceptio* pro *consilium do.* Hieron. to. 2. lib. 1. aduersus Pelagianos bene post initium: *Sed nobis Euangelica perfectio requirenda est, in qua præcipitur, Si vis perfectus esse.* Vbi præcipitur est *consultur*, nisi explices *docetur.* at bene post asserit Christum præcepisse *possibilia*, cum dixit, *Estote perfecti, nisi explices de perfectione simpliciter necessaria ad salutem, quæ sita est in obseruatione mandatorum.*

§. 6. *Mandatum* à *mando, mandas*, Primùm significat quasi legationem, aut delationem, quando aliquis agit cum alio per interpositam personam: *mando* enim significat committere; vnde mandatum, hispanè *mandado* vel *recado*, qualia serui deferunt à suis heris ad alios. Terent. in Adelpho: *Huic mandes, si quid rectè curatum velis.* hinc mandator *mandadero.* In Scriptura ita accipitur interdum. Genesis 45. 9. *Hac mandat filius tuus Ioseph,* id est, dicit per nos. & cap. 50. 15. *Mandauerunt ei dicentes,* id est, dixerunt per nuntium: item Actor 17. 15. & alibi. Est ergo mandatum negotium ab alio commissum exequendum sine mercede. Quia verò hæc mandata sunt à voluntate mandantis, hinc apud sacros *mandatum* accipitur pro præcepto: item & apud nostros *mandamento*, siue *mandado.*

§. 7. Apud sacros tantùm percrebuit vsurpatio præcepti atque mandati pro voluntate Superioris, ex qua in subiectum deriuatur obligatio parendi, vt vix in alia significatione vsurperet à Deo: vt *præcipere* absolutè idem sit quod cum obligatione iubere. *mandatum* item pro eadem vsurpatur iussione. De mandato constat Genes. 26. 5. c. 32. 19. Exodi 6. 13. c. 15. 26. c. 16. 28. c. 24. 12. Leuit. 4. 2. & 13. c. 18. 30. c. 22. 31. c. 26. 3. & 14. Numer. 5. 6. c. 15. 39. c. 36. 13. Deuteronomiũ plenum est ijs testimonijs. Matthei 5. 19. *Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis.* c. 19. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Luca 18. 20. *Mandata nosti, Non occides, non moechaberis.*

§. 8. Non est rarior eadem vsurpatio præcepti. Genes.

Yy

Genes.

S. Thom.
q. 20. & 47.

Genes. 26. 5. Exodi 1. 17. c. 15. 25. & 26. c. 18. 16. Leuit. 10. 7. & 9. & c. 18. 4. Num. 3. 39. c. 9. 14. Deuter. 4. 1. & seqq. c. 5. 10. Iosue 7. 2. c. 19. 50. c. 24. 24. 1. Reg. 21. 2. 2. Reg. 16. 11. Marci 7. 9. c. 10. 19. Ioan. 15. 10. Non est opus in re clara teinpus terere. In hac significatione praeceptum accipio, vtrum Christus iussione Patris mortem obierit?

SECTIO II.

Qui differant consilium atque praeceptum?

§. 9. **C**onsilium à consulo: consulare aliquem est ab eo quærere, quid expediat agere: quod hic respondet, est consilium. est ergo consilium à consulo responsum. Propriè est directio, qua aliquis alium instruit ad aliquid agendum. Hac est propria huius vocis significatio. Cicer. Terent. *Vestrum iam consilium est, non solum meum, quid sit vobis faciendum.* Hinc inire consilium, & audire, & dare. Vnde cœtus consiliorum, consilium à nostris dicitur, & à bene Latinis. Cicero pro Roscio: *Qui ex civitate in senatum propter dignitatem, ex senatu in hoc consilium delecti estis propter severitatem.* qui vsus etiam frequens est factis. Genes. 41. 37. *Placuit Pharaoni consilium.* Cap. 49. 6. *In consilium eorum non intret anima mea.* Matth. 12. 14. *Pharisæi consilium faciebant.* In hac significatione consilium non significat voluntatem consiliarij, sed iudicium de re facienda explicatum alijs. Consilium item significat iudicium vniuscuiusque de re facienda, licet non datum ab alio homine. Cicero lib. 6. ad Atticum, *Nemo doctus vniquam mutationem consilij, inconstantiam dixit esse.* Idem parit ex 1. Machab. 4. 45. *Incidit illis consilium bonum.*

§. 10. Interdum consilium præter iudicium consulti, addit voluntatem & persuasionem; id enim significat consilium dare. Quint. *Ciceroni dabimus consilium, vt Antonium roget.* Apud sacros est frequentissimus vsus. Genes. 27. 8. *Acquiesce consilijs meis.* Loquitur autem Rebecca Iacobo, cui enixe suadebat præoccupandam fratri primogenituram. Exodi 18. 19. *Audi verba mea, atque consilia, dixit Iethro Moyfi genero.* Luca 7. 30. *Pharisæi, & legis periti consilium Dei spreverunt.*

§. 11. Præceptum ergo Dei accipio pro voluntate Dei, cuius violatio est per se peccatum: consilium autem est voluntas Dei, cuius prætermisio non est per se peccatum. Hinc Theologi dicunt esse nonnulla opera de necessitate salutis, esse opera præcepti, & obligationis: hæc sunt præcepta, leges, & iussiones Dei; contra quas si grauitèr peccatur, occluditur aditus ad vitam æternam; si autem leuiter, retardatur, eo præcisè quòd sunt contra eam voluntatem Dei, licet nullo alio ex capite essent mala. Huc reuoco præcepta naturalia, quæ etiam sunt lex Dei, vt dixi disputans de peccatis. At ex eo præcisè quòd fiat contra Dei consilium, non peccatur. vnde qui duxit vxorem, non peccauit, quamuis est contra consilium generale Dei de virginitate. Hæc autem vocantur opera supererogationis, quia adduntur supra debitum legis.

§. 12. Esse hanc distinctionem præcepti à consilio contra Caluinum, & alios hostes præceptorum & consiliorum Dei, constat ex 1. Cor. 7. 25. *De virginibus praeceptum Domini non habeo; consilium*

autem do. Qua distinctione demonstrat placere Deo virginitatem, vt perfectiorem connubio; tamen non esse à Deo præceptam. quapropter virginitas non est in præcepto, & necessitate nostræ voluntatis, sed in eius libera potestate: & qui nubit, non peccat; qui autem virginitatem seruat, meliùs facit. itaque nubens bene facit, si debite nubit; sed virgo meliùs facit. Est ergo præceptum voluntas Dei reddens malam omissionem, ob quod non est medium inter liberè non seruare præceptum, & peccare; consilium autem est voluntas Dei de obiecto meliori: est autem medium inter peccare, & non seruare consilium; nempe agere minus bene.

§. 13. Quæ omnia explicuit Apostolus eo c. 7. v. 26. agens enim de matrimonio ait: *Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est hominem sic esse.* & vers. 28. *Si autem acciperis vxorem, non peccasti: & si nupsit virgo, non peccauit.* & vers. 36. *Quod vult faciat, non peccat, si nubat: nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde suo, seruare virginem suam, bene facit. igitur & qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit; & qui non iungit, meliùs facit.* Non est opus alijs verbis clarioribus ad explicandum scholarum in mortem discrimen consilij à præcepto. Recognosce Patrem Suarez lib. 1. de Legibus cap. 4. à n. 4.

§. 14. Disquiramus vnde trahat ortum hæc ratio discriminis. Aliqui censent hoc ortum, quia præceptum habet pro obiecto non solum rem faciendam, aut omittendam, sed etiam obligationem subiectorum: consilium autem non habet pro obiecto obligationem; sed tantum rem ipsam consultam. Quod discrimen est bonum, si probeatur obligationem esse obiectum legis aut præcepti, ego existimo obligationem formaliter consistere in lege ipsa, non verò in obiecto: obligatio enim est titulus, quo tenemur parere; non parendo autem agimus contra eum titulum: sed hic titulus est ipsa lex: ergo obligatio est lex ipsa, qualigamur ad agendum quod præcipitur; alioquin peccabimus.

§. 15. Breuiter dico, præceptum esse obligationem ipsam, quia Deus titulo iurisdictionis vult hanc rem esse, & illi displicet eius carentia. v. gr. Deus vult abstinentiam Adami à fructu ligni vitæ; ita eam vult, vt odio habeat eum eius fructus. hæc voluntas Dei seipsa ligat voluntatem Adami, ne licite vescatur eo fructu. ob quod eius elus est contra illam Dei voluntatem, & est inobedientia: quia est contra iurisdictionem Dei: tenemur enim nostram voluntatem subijcere diuinæ, nec quid agere contra illam. consilium autem Dei non est talis voluntas de obiecto, vt oppositum odio habeat, sed potius amat vtrumque, neutrum illi displicet; placebit autem alterum magis. exe. gr. dicit Deus, Ego, quantum est ex me, volo matrimonium, ad quod paro concursum gratiæ: volo item virginitatem, ad quam eundem paro concursum: magis autem in virginitatem inclinor. non dicit hoc de fornicatione, quam Deus prosequitur odio, non amore. In hoc euentu qui nubit ex recta ratione, facit ex voluntate Dei; qui verò fornicatur, contra Dei voluntatem. Nec Deus petit virginitatem titulo iurisdictionis, in qua consulenda non vritur iurisdictione, sed potius sapientia, qua iudicat eam magis expedire. Hinc oritur, vt nulla